



**G**Eorgius Bruxellis natus à pueris operam literis dedit, atq; prima artium fundamenta feliciter didicit. Postea sese hinc inde ad varias Academias contulit, atq; Aristotelicæ philosophiæ magna diligentia incubuit. Itaq; factum ut in ea plurimum profecerit, & doctissimis philosophis cõnumeratus fuerit. Scripsit is in Logicam Aristotelis expositionem per omnes Organi partes, sermone tamẽ (pro eius seculi ratione) admodum barbaro, cum additionibus quibusdã Thomæ Bricoti, quæ Lugdunî sunt edita anno 1504. Postea quoq; interpretationẽ in summulas Petri Hispani proposuit, atq; cum Thomæ Bricot quæstionibus publicavit. Hac ratione contigit, ut Georgius ob ingenij acumẽ præclarum apud doctos sibi nomen compararit, atq; legendo, scribendo, & disputando apud Belgas reliquos superarit. Gefs. Anon.